

SI IN CAUSA IUDICATI PIGNUS CAPTUM SIT.

8.23.1

*Imp. Antoninus A. Gabinio.*

Res ob causam iudicati eius iussu, cui ius iubendi fuit, pignoris iure teneri ac distrahi posse saepe rescriptum est. Nam in vicem iustae obligationis succedit ex causa contractus auctoritas iubentis.

*PP. V k. Aug. Romae Antonino A. IIII et Balbino cons.* [a. 213]

8.23.2

*Imp. Alexander A. Valeriano.*

Cum in causa iudicati aliqua res pignori capitur, per officium eius qui ita decrevit venundari solet, non per eum, qui iudicatum fieri postulavit.

1 ¶ Et si alio emptore non existente, vel existente quidem, sed non dignum pretium offerente is cui iudicatus satis non fecit ad licitationem secundum constituta fuerit admissus, cuiuslibet alterius vice ex officio emere debet.

*PP. VI k. Mai. Maximo II et Aeliano cons.* [a. 223]

8.23.3

*Imp. Gordianus A. Antigono.*

In causa iudicati pignora ex auctoritate praesidis capta potius distrahi quam iure domini possideri consuerunt. Si tamen per calliditatem condemnati emptor, inveniri non potest, tunc auctoritate principis dominium creditori addici solet.

*PP. id. Aug. Gordiano A. et Aviola cons.* [a. 239]